

Postea autem migravit pater eius nomine Wratisslaus de hoc mundo. Interea conveniunt omnes populi regionis illius et elegerunt beatum Wenceslaum ducem pro patre suo et sedere eum fecerunt in throno ipsius.

*První slovník legendy o svatém Václavu.*

2.

Tunc predictus illustris puerulus, permanens in principatu, minime discissit a disciplina. Fidelis namque erat et sapiens et verax in sermone et iustus in iudicio. Et cum iudices illius aliquem condemnare voverunt ad mortem, statim ille preatus juvenis, si cum nullo modo liberare poterat, occasionem aliquam faciens, exiebat foras, memor dicentis precepti in Evangelio: Nolite condemnare et non condemnabimini! Carceres quoque destruxit et omnia patibula succidit.

*Fuit in provincia Boemorum.*

Orphanorumque fuit misericors et pater gemencium et viduarum, satisfactionumque pius consolator. Esurientes alens, sicientibusque potum ministrans, et de vestibus suis nudos tegens, infirmos visitans, mortuos sepeliens, hospites et peregrinos, ut proprios proximos, libenter recipiebat, presbiteris et clericis honorabiliter ministrans, errantibus viam veritatis ostendebat. Insuper etiam humilitatem, pacenciam, mansuetudinem potissimamque caritatem observabat; per vim atque per fraudem nulli aliquid abstulit. Exercitumque suum non solum armis, sed etiam optimis operimentis adornabat.

Hec autem et his similia faciens ab ipso tyrocinio spiritaliter contemplativam ecclesie vitam sequebatur. Sed in Quadragesimali tempore ieiunii per gelidum et arduum callem discalcatus pergebat de civitate in civitatem ad ecclesias pedester, tandem ut radicatus in eius vestigiis emanans cruor apparebat. Cilicio aspero subtus indutus, desuper vestibus regalibus amictus, modico contentus pabulo, assidue pervigil non cessabat gratias soli immensas agere Deo.

Itaque vero in tempore messis in nocte surgens ibat latenter in agrum et triticum metebat et portabat in humeris suis ad domum suam et tractabat inde et in molis molebat et cribrabat farinam. Similiter sumens ydriam cum uno cliente intempesta nocte pergebat ad aquam, quam afferens, dicebat: In nomine patris et filii et spiritus sancti quamque domum afferens et miscens cum predicta farina, ex hoc oblatas coquebat.

Simili modo nocturno silencio properabant in vineam suam cum ministro fideli et accipientes botros intriverunt in chorum et portabant in cellulam suam occulte, ibique calcabant illud in torculari et fudebant in urceum. Idcirco hoc faciebat nullo sciente, ut sacrificia per hoc sacerdotes offerent Domino.

3.

Sed et hoc, quod a fidelium relatione compertum est, tacendo preterire incongruum constat, quia iam Dei inspiratione presagus erat futurorum. Sed in aliis eius multis vaticiniis unam innosco, quod quadam die anni circuli volentis conscendens superiorem palacium suspiciensque per fenestram uni discipulo narravit dicens: videtur michi hoc atrium maioris Pauli presbiteri desertum esse.

Interea vero mater eius, que erat ex genere gentilium ignorancium deum, cum perfidissimis viris inito consilio, dixerunt: Quid facimus? Quia, qui princeps debeat esse, perversus est a clericis et est ut monachus!

*Fuit in provincia Boemorum.*

Misitque infelices et funestos viros ad socrum suam beatissimam matronam nomine Ludmillam, ut eam iugularent. Qui et fecerunt, sicut illis iussum fuerat. Cuius etiam anima exuta corpore, e mundi huius assumta casibus cum palma martyrii procul dubio perrexit ad sublimem Dominum. Et presbyteros multos cum clero, privantes substantia, eiecerunt de terra. Tunc impleta est eius propheta, quam nuper predixerat.

4.

Et ab illo ergo die nimis increpabant minis beatissimum Wenceslaum operantes, ut respisceret a doctrina. Et statuerunt in latebris et plateis insidias, ut si aliquem clericum ad eum venientem reperirent, illico morte puniretur. Ipse autem cum suis fidelibus a tergo postulas fecit et cum sol occidisset et cuncta fiebant silentia, tunc introibat, qui eum docebat, et crepusculo latenter abscedebat. Beatus vero Wenceslaus iugiter oculens libellum parvum sub tegmine suo gestabat et ubicumque inveniebat locum, cum diligentia recitabat et gemens, graviter nimis dolebat cordis illorum cecitatem.